49

DISPUTATIO PHYSIOLOGICA

INAUGURALIS

DE

CATAMENIIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31873376_0002

DISPUTATIO PHYSIOLOGICA
INAUGURALIS
DE
CATAMENIIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU; ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES MORRISON,

HIBERNUS,

CHIRURGUS.

VIII. Calendarum Julii, horâ locoque solitis.

"*Atque ut intelligamus nihil horum esse fortuitum, et hæc*
"*omnia esse opera providæ solertisque Naturæ.*"

CICERO, de Nat. Deor.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

M DCCC VI.

322291

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

REVERENDO ADMODUM

JOSEPHO LITTLE, A.M. ET M.D.

IN COMITATU DE *DOWN*;

HOMINI

INGENIO, DOCTRINA, SCIENTIA

CONSPICUO;

PROPTER PLURIMA OPTIMA CONSILIA,

ET ALIA BENEFCIA, IN EUM COLLATA;

HANC DISSERTATIONEM,

CALAMI JUVENILIS PRIMITIAS,

ANIMI HAUD IMMEMORIS, ET OBSERVANTIÆ

PIGNUS,

OFFERT

AUCTOR.

ITEM,

AMICO SUO SPECTATISSIMO,

SAMUELI BELL, ARMIGERO,

DE *DUBLIN*;

VIRO

PLURIMIS VIRTUTIBUS

ORNATO,

SUB CUJUS AUSPICIIS FAUSTIS

ARTIS MEDICINÆ INITIA

DIDICIT;

HOCCE OPUSCULUM,

OB GRAVIA INNUMERA BENEFICIA,

QUIBUS EUM DIGNATUS EST,

ANIMI IN ÆTERNUM DEVINCTI

MONUMENTUM,

D. D. DQUE

JOANNES MORRISON.

DISPUTATIO PHYSIOLOGICA

INAUGURALIS

DE

CATAMENIIS.

Joanne Morrison Auctore.

Catamenia, vel fluxus fluidi sanguinei è vagina, tempore quo fœminæ pubescunt, incipiunt, et bonâ valetudine fruentibus, (si uterum gerentes et lactantes excipias), singulis mensibus per annorum seriem redeunt.

Sexus muliebre, pubertatis tempore, per totum terrarum orbem huic profluvio obnoxium est: hinc ætas quâ primum semet ostendere

 solet,

solet, in diversis regionibus haud parùm differt.

In iis terræ regionibus quæ ad metas solstitiales vergunt, menstrua circa *nonum decimum*ve ætatis annum prorumpunt, et quò propiùs septentrioni accedimus, eò seriùs obrepunt; et in Lapponia ad *vigesimum* vel *vigesimum secundum* remorantur, nec desunt quibus tempore æstivo solummodò superveniunt, ut LINNÆUS affirmat *.

Cùm autem menses in hisce terræ plagis profluere incipiunt, corporis forma et mentis dotes mutationes maximè insignes subeunt; et, ut VAN SWIETEN monet, corpus bimestri spatio magis nunc accrescit, quàm duobus annis proximè elapsis fieri consuevit. Nugæ, anteà gratissimæ, non ampliùs placent; mammæ pulchrè efflorescunt, pubes novâ lanugine vestitur;

* Flor. Lappon.

vestitur; egregium est formæ decus: nunc virgo matura viro fingitur artubus; grata et erubescens vultûs protervitas, ruborem amabilem niveo candore mistum ostendit; oculi ridentes amoris scintillis gliscunt; et suavissima totius corporis venustas, blandâ almæ Veneris dulcidine juvenum mentes perfundit.

Tempus vitæ quo menses in hac regione accidunt, secundum vivendi rationem et corporis habitum aliquantùm variat. Puellæ præcoces oppidanæ, quæ hominum societati crebriùs objiciuntur, et in lectis mollioribus et cubiculis calidis decumbere solent, menses circa vel ante *decimum tertium* ætatis annum sæpè experiuntur; contrà, rusticanæ, quæ vitam duriùs agunt, mensibus rarò corripiuntur donec annum ætatis *quintum decimum*, vel etiam *decimum octavum*, attigerunt. Puellæ labe strumosâ præditæ, quæ cute tenuiore et capillis albis insigniuntur, maturiùs plerumque mensibus opportunæ fiant.

Menses

Menses raro nullo prænuncio dato apparent; quædam enim signa eos imminentes plerumque prægrediuntur; hujusmodi sunt, varia dyspepsiæ indicia, capitis, dorsi et femorum dolores, cordis palpitatio, faciei pallor, tensio mammarum molesta, glandularum colli et inguinis tumores, respiratio difficilis, pruritus circa genitalia, et quædam urinæ reddendæ difficultas. Cùm hæc symptomata per tempus nunc brevius nunc longius perstiterint, copia muci tenuis e vagina effunditur, quo omnia signa suprà memorata mitescunt; huic, fluxus sanguineus, biduo, vel triduo ut plurimùm perstans, subsequitur, qui vera menstrua habenda sunt: circa quartum diem ex tempore quo primùm apparuit, omninò decedit, et tunc solita salutis munera redeunt. In quibusdam autem fœminis, hocce profluvium paucis horis finitur; dum in aliis per spatium octo vel decem dierum fluere perstat; "plerumque tamen triduo absolvitur *."

Hæc

---

* Friend's Emmenalogia.

Hæc evacuatio, jam breviter descripta, per triginta annorum spatium singulis mensibus redire solet, donec mulier quadragesimum quartum ætatis annum attigerit; ante autem hoc tempus irregulares evadunt, et cùm semel cessaverint, nunquam iterum profluunt.

Catamenia in plagis terræ Australibus, octo vel novem annorum spatio desinere dicuntur; dum in regionibus maximè frigidis, usque ad sexagesimum ætatis annum nonnunquam manent.

In quibusdam, menses temporis observantissimi sunt, et mense exacto accuratè redeunt; dum in aliis paucos dies a tempore menstruali aberrant.

In fœminis quæ uterum gerunt, menses etiam ab initio supprimuntur, et nutrices rariùs his opportunæ sunt; præter nutrices apud

apud Anglos, quæ eò mensibus vix minùs obnoxiæ sunt *.

Quantitas hujus fluidi, quâvis vice effusi, è cœli et corporis statu maximè pendet: in fervidioribus cœli regionibus, circa libram quovis tempore excernitur; septentrionem autem versus, vix *duas uncias* exsuperat.

In his insulis, quantitas in diversis fœminis, et etiam in eadem fœmina diversis temporibus, variat. In iis quæ artem culinariam exercent, qui calori multùm objiciuntur, et quæ abusui liquorum spirituosorum deditæ sunt, vel calidiore corporis temperamento prædìti, menses uberiùs profunduntur. Plerumque autem quantitas in hac regione è *tribus* ad *sex uncias* variat: in omni exemplo, multùm certè ex iis cuivis mulieri propriis, pendebit.

Hoc

* Audi prælect. Doctoris HAMILTON, A. O. P. in Acad. Edin.

Hoc fluidum colore sanguinem venosum refert: in junioribus, quàm in ætate provectis, tenuior et magìs floridus est.

Quædam fœminæ, virgines æquè ac connubio junctæ, quibus menses ægrè fluunt, substantiam membranaceam unà interdum excernunt *: huic autem memorari, quod ad pathologiam mensium potiùs spectat, a nostro proposito omninò alienum foret.

Auctores fide dignissimi, puellarum exempla protulerunt, quæ etiam ineunte ætate menstrua passæ sunt; nec desunt exempla, bonâ auctoritate firmata, quæ fœminas quasdam mensibus nunquam subjectas fuisse docent. "Memorantur prætereà fœminæ menstruis "prorsùs immunes †." Fluxum sanguinis è vagina quavis ætate accidere posse, neminem latet; et sanè cùm talis fluxus etiam ab

* Denman.

† Friend.

ab utero longè ante consuetum tempus prorumpit, forsan in omni ferè exemplo morbidus habendus est; in plerisque autem hujusmodi exemplis, e membrana vaginæ effunditur, et maximè e mensium natura discrepat.

DE FONTE MENSIUM.

Nemo est quin hoc fluidum ex utero originem ducere liberè agnoscat; utrum autem ex *arteriis* vel *venis* hujus visceris profunditur, auctores maximè dissentiunt.

Ex quidam menstrua e quibusdam receptaculis in utero positis, effundi contendunt; nil autem hujusmodi unquam detectum est, nec forsan reverà detegi potest.

Hunc fluxum neque ab arteriis neque venis rectè provenire, ex experimentis a Domino Hunter et aliis institutis, compertum habemus;

bemus; dotibus enim e sanguine circumfluo plurimùm dissidet; non enim cogi potest: hinc ex sanguine differre videtur, eò quod substantia vi coagulandi prædita deficit.

Menses ex arteriis exhalantibus in fundo uteri patulis, maximè derivari videntur; hæ enim periodis menstruis ita ampliantur, ut tenuiorem sanguinis partem in uteri cavum effundi sinant.

DE CATAMENIORUM CAUSIS.

Cum medici olim in causis rerum perscrutandis maximè versati fuêre, eos haud levi operâ ad causam mensium indagandam incubuisse nemini mirum erit.

Aristoteles, et ejus æmuli, lunam, sive decrescentem vel increscentem, super humani corporis fluida summum imperium exercere, haud secùs ac maris æstus ex ea pen-

dent, persuasum habuerunt: ad hanc autem sententiam improbandam, nullis argumentis suffultam verbis non opus erit. Alia opinio, Galeno duce, cui medicina tantùm debet, in medium prolata est, et medici summi nominis, ut Friendius, Boerhaavius, &c., eandem sententiam amplexi sunt. Hi enim viri clarissimi, menstrua *ex universa corporis plenitudine* repetunt.

Quò minùs autem in hanc opinionem abeamus, multa argumenta satis valida fortiter obstant.

1mò. Fœminæ debiles et macilentæ, quæ ne minima plethoræ indicia ostendunt, haud minùs eò mensibus opportunæ sunt.

2dò. Etsi sanguis ex aliis corporis partibus haud exiguâ copiâ detractus fuerit, fluxus solitus ex utero nequaquam impeditur.

3tiò.

3tiò. Signa molesta quæ e mensibus suppressis oriuntur, e singula sanguinis uncia ex utero ipso effusa, quàm e maxima ejus copia ex aliis partibus detracta, multò magìs levantur.

4tò. Parca admodum sanguinis copia, quæ quovis tempore menstruo excernitur, ad plenitudinem totius corporis vel inducendam vel tollendam, parùm conferre potest.

Nonnulli, menses ex *fermento* quovis, pendere posuerunt. Hocce fermentum, alii, ut Democritus, Bayleus, &c., ad uterum; et alii, inter quos De Graaf eminet, ad sanguinem circumfluum, relegârunt.

Hæc autem opinio satis inepta, mera conjectura est, et nunc penitùs obsolevit. Quis enim fermentum, vel in sanguine vel in utero subesse, unquam validis rationibus probare aggressus est?

Altera

Altera opinio magis verisimilis, et quæ hodiè magis apud medicos invaluit, hanc evacuationem *e plethora uteri ipsius* proficisci ponit.

Hujus doctrinæ fautores, eam sequentibus argumentis stabilire conantur.

Cùm, tempore, quo pubertas evenit, artus inferiores quodammodo probè evolvuntur, minor sanguinis copia pro rata ad eos defertur, quippè vasa harum partium nunc magis rigida ulteriorem distentionem haud facilè patiuntur.

Quoniam vires et capacitas venarum ex iisdem arteriarum dotibus in fœminis maximè differunt *; et venæ quibus uterus suppeditatur valvulis carent; in nulla alia corporis parte sanguis faciliùs conferre possit, et uterus

---

* WINTHRINGHAMI Experimenta.

rus nuper solummodò evolutus fluidorum pressuræ faciliùs cedit.

Denique, qui hanc sententiam tuentur, ad dolores lumborum, et alia signa quæ menses comitantur, plenitudinem uteri planè suadentia provocant.

Hisce argumentis, utcunque ingeniosis, quædam ritè forsan objici possunt.

Etsi enim consideremus experimenta clari WINTHRINGHAMI, in corpore humano æquè ac in vilioribus animalibus valere, hoc forsan ad litem dirimendam parùm forsan conduceret. Mensibus enim obortis, extremitates inferiores rapidè adaugeri perstant, et igitur renixus suprà positus minimè in causa esse potest ut sanguis in utero congeratur.

Nonnulli affirmant, e structura venarum uteri regressum sanguinis in iis ita impediri, ut sanguis in arteriis accumulari debet: hæc autem

autem conjectura argumentis parùm validis nititur. Dicitur quoque tortuosum arteriarum uteri cursum, sanguinis congestioni favere; si autem conjecturis indulgere liceat, diversam hujus fabricæ rationem reddere volumus.

Structura quoque uteri ita mollis et laxa habetur, ut sanguinem ex eo facilè effundi sinat; in virginibus autem hæc structura forsan non tam manifesta est, ut aliquid certè exinde deducere liceat.

Nec multùm, ut mihi videtur, dolore et aliis in regione uteri signis fidendum est, quippè pluribus in exemplis hic fluxus nullis hujusmodi malis comitantibus profunditur.

Quidam medici, dubia, quibus hæ opiniones de causa mensium premuntur, planè prospicientes, aliam de eorum natura sententiam satis ingeniosam amplexi sunt; menses enim secretionem esse, et uterum glandulæ munere

fungi,

fungi, contenderunt. Hæc opinio e dotibus hujus fluxûs, quæ haud parùm e sanguine abludunt, planè proficiscitur: hîc autem multum obscuri adhuc subest, nec sanè hæc sententia cæteris nobis magis arridet, et planè in eo hæret, quod nullam omninò rationem reddit, quare menses statis intervallis redeunt. Hoc solummodò constat, multa quæ in corpore humano peraguntur, statis periodis subjici, quorum forsan ratio atrâ caligine semper mersa latebit.

DE USU MENSIUM.

Utcunque variæ fuêre opiniones quæ de causa hujus profluvii proxima invaluerunt, duæ solummodò obtinent de consilio, quo institutum fuit.

Prima sententia ponit sanguinem majori copiâ, quàm ad corpus sustinendum necessarium est, fœtui nutrimentum præbere, dum fœminæ uterum gerunt.

Altera,

Altera, menses uterum conceptioni aptum reddere habet.

Argumenta quæ primæ sententiæ adversantur, satis in promptu sunt.

Si hoc profluvium ad fœtum alendum dicatum fuerit, e primis graviditatis mensibus gradatim decedere debet; hoc enim tempore minoris sanguinis copiâ ad fœtum nutriendum opus est, quàm in ultimis mensibus.

Totus sanguis qui novem mensium spatio effunditur, (etiam in hisce terræ regionibus), nutrimentum fœtui nequaqam præberet.

In iis terræ partibus ubi quædam fœminæ semel solummodò in anno menses expertæ sunt, hoc fluidum fœtum minimè sustinere, dilucidè patet.

Altera autem opinio rationi multò magis consentanea videtur, et sanè non dubium est

quin

quin uterus ex hac evacuatione fœcundus fiat; si enim menses fluere desinunt, ad conceptum nequaquam valet: observatur quoque in quibusdam brutis animantibus, dum æstro venereo exagitantur, aliquid glutinosi ex organis genitalibus secerni, quo mares adducti cœco impetu in venerem fœcundum ruant: hoc quoque fluidum æstate præsertim fervidâ, vel in regionibus calidis, ad naturam sanguinis nonnunquam accedere videtur.

Ex suprà dictis satis patet catamenia uteri statum inducere, quo ad concipiendum aptus evadit; et hinc brevi post solitum fluxum, concubitus maximè fœcundus fieri solet.

FINIS.

[illegible]TTATO CHIMICO-MEDICA

[illegible]

LA VESICA URINARIA